volscos et fidenates et falyscos continet. Liber sextus:
In obsidione veiorum tabernacula militibus facta sunt
Ea res cum esset nova, indignationem tribunorum plebis
movit querentium non dari plebi nec per hiemem militie
requiem. Cum inundatio ex lacu albano facta esset vates
qui eam rem interpretatur ex hostibus captus est. Furius camillus dic
tator .x. annis obsessos veios cepit. simulacrum romam transtulit.
Decimam prede delphos apolini misit. Item tribus militum cum
faliscos obsideret: proditos hostium filios parentibus remisit. Sta
timque deditione facta faliscorum victoriam iustitia consecutus est.
Cum alter ex censoribus .c. iulius decessisset: in locum eius .m. corne
lius suffectus est. nec id postea factum est quoniam eo lustro a gallis roma
capta est. Furius camillus cum dies ab .l. apuleio tribuno plebis dicta esset in
exilium abiit. Cum galli senones clusium obsiderent et legati a se
natu missi ad componendam inter eos et clusinos pacem. pugnantes con
tra gallos starent in acie clusinorum. hoc facto concitati senones
urbem infesto agmine petierunt. fusisque ad aliam romanis cepere
urbem preter capitolium in quo se iuventus contulerat. Maiores
natu cum in singulis honorum quos quisque gesserat in vestibulis
edium sedentes occiderunt. Et cum per adversam partem capitolii iam
in summum evasissent: proditi clangore anseris .m. manlii precipue
opera deiecti sunt. Coactis deinde propter famem romanis descendere ut
decem pondo auri darent. ut hoc pretio finem obsidionis emerent. Fu
rius camillus dictator absens creatus inter ipsum colloquium quo de pa
cis conditionibus agebatur cum exercitu venit. et gallos post sextum men
sem ab urbe expulit ceciditque. Dictum est ad veios migrandum esse
propter incensam et dirutam urbem. Quod consilium camillo au
ctore discussum est. Movit populum vocis quoque omen ex centurione au
dite. Qui cum in forum venisset manipularibus suis dixerat:
Estimabiles hic optime manebimus. Edis iovi capitolino facta
est quo ante urbem captam vox audita erat gallos advenire:

Res adversus volscos et equos et liber Septimus:

(2)-6

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. C 219, 2_6r – A) Cicero: Topica; B) Annaeus Florus: Epitome Bellorum Romanorum; Livius: Periochae; C) Juvenal: Saturae, cum glossis; D) Augustinus (Pseudo-): Categoriae [= Paraphrasis Themistiana] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-yuic/5321/50600)